

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

IOANNIS
EVANGELISTÆ

XVII. CAPVT A M. IOHAN-
ne Sleifero Seruestano Iuriscon-
sulto & Poëta Laureato Hen-
deca syllabico Carmine
conuersum &c.



*Pro genere humano fundit pia uota parenti
Christus, ubi sensit tempus adesse nechs.*



AMPLISSIMO ET
CLARISSIMO VIRO DIGNI-
TATE, SAPIENTIA, ERUDITIONE, VIRTU-

te & plurimarum rerum usu atq; experientia præcellenti, Domino

ADAMO RVPERTO, Inclytæ Ciuitatis Budisinae Iu-
dici dignissimo, suo Musarumq; patrono plurimum

honorando M. Iohannes Sleiferus Serue-

stanus I. C. & Poëta Laureatus.

S. AE. O.

ADame Aonidum decus sororum,
Et cultor Latij diserte Iuris,
Dum Musas collis eruditiores,
Quæ nunc omne carèt honore, prorsus
Vulgi & sub pedibus iacent relictæ,
Dumq; ueridicos amas Poëtas.
Quorû est fama famas, bonæq; Musæ
Sunt hoc tempore tristiore Mulae.
Hos, gratus, tibi dedicare uersus
Vir præstans uolui, meretur illud
Et uirtus tua rara, comitasq;
Quin Musis animus dicatus almis.

Sed fors materiã rogas? recensent
Christi uerba suprema, quæ parenti
Summo tum retulit, cruci priusquam
Affixus fuit, & tulit cruentam
Indignamq; necem, plagasq; seuas.
Mortales miseros manu potenti

Tristi ut carcere liberaret Orci,
Illis iusticiamq; perditamq;
Fuso sanguine redderet salutem.
Ergo quicquid id est fauente dextra
Mitis accipe candidiq; uatis
Boni consule dedicationem.
Sic te postmodo pectorisq; dotes
Dum uitam Superi mihi fauebant
Victuris ego prædicabo chartis.
Atq; tot tibi gratias habebø,
Hirsutos quot hyems gerit capillos,
Quot uer purpureos parit colores,
Æstus quot grauidas refert aristas,
Autumnus quot habet ferax racemos,
Tot uiuas etiam precor per annos,
Adame Aonidum decus sororum
Et cultor Latij diserte Iuris.



IOANNIS EVANGELI
LISTÆ XVII. CAPVT HEN.

DECASYLLABICO CARMINE A M. IOHAN.
NE SLEIFERO I. C. ET POETA CO-
RONATO CONVERSVM.

CHRISTVS labe carens IESVS Somni
Mœsta cum retulisset hæc loquela

Ad cœli faciem leuabat axem

Mittebatq̄ sonos ab ore tales :

O æterne DEVS pater uerende,

Qui terras tonitru quatis sereno,

Tristis imminet hora, qua coæuum

Gnatum clarificare uis, ut ipse

Gnatus, clarificet suum parentem,

Huic summum Imperium uelut dedisti,

Supra cuncta animata & omne uiuens,

Vitam donet ut omnibus perennem

Quos curæ ipsius ipse collocasti.

„ Hæc sed uita perennis est, ut ultrò

„ Te uerum esse Deum atq̄ Christum Iesum

„ Solum confiteantur & celebrent,

„ Summo ab æthere quem per uniuersum

„ Misisti ipse pater tremende, Mundum.

Interris tua facta, gloriamq̄

Iustis laudibus extuli, mihiq̄

A 2

Iniune

Iniunctum officium libens peregi.

Iam me summe parens, Creator orbis
Tecum clarifica nitore tali
Olim quem dederas mihi, priusquam
Immensus fabricatus esset orbis.

En tuum decus omnibus popellis
Quos de mundo ego nactus, explicavi,
Subiecti tibi erant, tuisq̄ iussis,
Verum nunc proprios mihi dedisti,
Seruaruntq̄ tuum salubre uerbum.

Nunc habent benè cognitum, quòd omne
A te, quod teneo mihi esse partum.
Nam quæ uerba mihi dedisti, iisdem
Concessi, meritoq̄ honore spontè
Accepêre, fidem & dedêre uerbis
A te quod pater exi, atq̄ mundum
Te mittente adij fide apprehendunt.

Pro illis oro etiam, nec uniuerso
Pro mundo, sed ijs mihi meæq̄
Dextræ quos pater ipse credidisti,
„ Tui sunt etenim, sed omne quidquid
„ Mihi uendico, iure uendicatur
„ Tibi, quodq̄ tibi mihi imputatur,
„ Et sum clarificatus ipse in ipsis
Atq̄ ego haud magis ambulo per orbem,
Ipsi autem patulo manent in orbe,

Namq̄

Namq̄ ad te redeo, & relinquo mundum.

Serua sancte pater mihi dicatos,
Partum nominis ob tui nitorem,
Ut unum maneant, uelut per omne
Tempus nos fuimus manebimusq̄.

Donec in tumido uagabar orbe,
Tuo in nomine protegebam eosdem,
Nec unus perijt, nec unus inquam,
Atq̄ prodigus è choro meorum,
Scriptis ut fieret satis piorum
Vatum, quos Lachesis peremit olim.

Nunc ad te uenio, loquorq̄ aperto
In mundo, mea turba ut absolutè
Mea lætitia fruatur omnis.

Dedi illis tua uerba, uerùm iniquus
Orbis hos odio afficit maligno.
Mundi haud sunt quia filij potentis,
Ceum non pars ego sum potentis orbis.

Non illos precor auferas ab orbe,
Sed clemens patrijs tegas sub alis,
Per casus uarios periculorum,
Non sunt filioli potentis orbis.
Ceum non pars ego sum potentis orbis.

In tua rogo ueritate sanctos
Illos effice, consecraq̄ sancta.

•• Tuum dogma salubre ueritas est.

Me

Me mundi uelut in plagas potentes
Misiſti, ſimili modo uniuerſum
Mando & præcipio his adire mundum
Coram illis ego reddo memetipſum
Sanctum ut ſanctificentur in beato
Vero, ſcilicet in ſalubre uerbo.

Propter illis nec ego precatōnes
Tantum fundo, ſed his peracta eorum
Qui credent mihi, traditiſque iuſſis,
Ut unum maneat ſubinde & unum
Credant, ceu ſumus & manemus unum,
Hinc noſcent pater à te in uniuerſum
Quod ſim miſſus ego decenter orbem.
Atque illis quoque contuli nitorem
Acceptum, ut maneatque ſintque ſemper
Vnum, ceu ſumus & manemus unum
In illis maneo ſubinde, tanquam
In me ſumme pater manes ſubinde,
Ut ſint perpetuò abſoluti, & inde
Mundus noſcat iners, quod uniuerſum
Te mittente ad hunc libenter orbem.
Atque illos quòd amore proſequutus
Es, me ſicut amore proſequutus.

Volo ſumme parens mihi ut dicati
Mecum ſint in eo loco ſubinde
Vbi ſim, uideantque claritatem

Meam,

Meam, quam mihi tradidisti, amore
Namq̄ me ueneratus es, priusquam
Verbo conditus esset amplus orbis.
Te non iuste parens iniquus orbis
Cognouit, sed ego absolutè, & ipsi
Cognouère quod à te abiui in orbem,
Atq̄ his magnificum tuum explicauit
Nomen, & faciam ut reclinet ille
In illis amor, ante constitutum
Orbem, quo pater alme me beasti
Inq̄ illis ero semper usq̄ & usq̄.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Nov 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17


M





12.

IOANNIS
EVANGELISTÆ
XVII. CAPVT A M. IOHAN-
ne Sleifero Seruestano Iuriscon-
sulto & Poëta Laureato Hen-
deca syllabico Carmine
conuersum & c.



*Pro genere humano fundit pia uota parenti
Christus, ubi sensit tempus adesse nece.*

